

79

*burantur, de quibus notitiam faciatis, prout expedit nobis. Data Mediolani die XXI. Novembris 1372. (à tergo) Nobilibus Viris Capitaneo, & Potestati nostris Rbegii, nec non Referendariis, & Officialibus bulletarum Civitatis ejusdem.*

Die VII. Decembris, scilicet in die Sancti Ambrosii, horâ XXI. mandato D. Barnabovis fuit suspensus D. Franciscus filius quondam D. Giberti de Foliano, qui captus fuit apud Herberiam in conflictu hoc anno die III. Junii proximè præteriti, & suspensus fuit in summitate guardiæ Sancti Bernardi ad merlum versus Scandianum cum maximo vituperio, quem D. Guido ejus frater noluit redimere, cui D. Barnabos assignaverat tres terminos ordinate. Sed notanda est hujus quondam Giberti progenies. Hic habuit sex filios, quorum quatuor gladio sunt mortui; hic verò fuit potentior & nobilior in orbe omnibus suo tempore, quem scelerata hæcenus commissa ad hunc finem duxerunt. Vivit adhuc unus, videlicet D. Guido. Habuit & tres filias, quarum unam propria manu occidit; aliam D. Azo de Sefso, cujus uxor erat, sed impudica sibi. Tertiam, quæ Monacha erat, fratres miserabiliter mori fecerunt. Vides ergo hujus iniquissimi viri generis finem. Hic per XXV. annos possessiones nostras de Miliarina occupavit, quas nunc in suo testamento restituit Monasterio. Item D. Guido Savina prædictus post multum tempus in suo lecto occiditur, ab his, in quibus fidebat, tempore noctis sepultus. Post triduum fit honor uni capsa pulchrâ de lapidibus, sed corpus ejus numquam visum est. Die XV. dicti mensis mandato D. Barnabovis depositus fuit D. Franciscus de Muro, & sepultus cum magno honore in Ecclesia majori ante Altare Sanctæ Lucie cum equis coopertis, & cum multis banderis, & aliis insignibus militaribus.

MCCCLXXXIII. die V. Januarii exercitus D. Barnabovis equitavit Bononiam, & usque Casenam, cuncta vastando, & multis captis hominibus, illic steterunt usque ad diem XX. dicti mensis, & nemo ibi fugerat. Qui eum rediret cum præda, & magno honore redirent, profligatus est ab exercitu Ecclesiæ, & Bononiensibus in Ripa Panariæ subtus Mutinam, & quasi omnes capti fuerunt, & ducti sunt Bononiam. Die X. Februarii Legatus Ecclesiæ transivit per nostram Diocesim cum exercitu versus Placentiam contra Vicecomites, ubi statim habuit Sanctum Joannem inter Placentiam, & Papiam, & alia multa Castra in ipsa Diocesi; & tunc Ecclesia tenebat omnia Castra Diocesis Placentiæ, quæ sponte rebellaverant D. Galeazio Vicecomiti. Hic remansit Cardinalis cum suo exercitu, faciendo bellum Vicecomitibus ubique. Ipso mense Comes Sabaudia colligatus cum Ecclesia, & Marchione Montisferrati, cujus causa hoc bellum fiebat, transivit Padum, & Ticinum, & venit in Comitatum Mediolani cum maximo exercitu, Mediolanum graviter invadendo, & castra posuit in Villa Vicomercati multum opulenta. Tunc Vicecomites auxilia undique colligebant; tamen tractabatur de pace inter ipsos. Die XV. Martii Cardinalis rediit Bononiam cum exercitu, propriis relictis Oppidis munitis, quæ in Papiensi, & Placentina Diocesi

A habuit, ex quibus D. Galeazius plura obtinuit, & omnia comburi fecit. Et nota, quod isto tempore à Foro-Julii, & ab Arimino versus Occidentem usque in Provinciam Narbonensem non erat ulla Civitas in pace, nisi Mantua, & Verona. Die VIII. Maji Gens Ecclesiæ per Diocesim Mantuæ equitavit versus Brixiam omnia vastando, ut auxilium ferret Comiti Sabaudia, & ut obtineret Bergomum per proditionem, sed apud Montem-Clarum profligata est à Vicecomitibus, & versi sunt in fugam. Tunc quidam D. Augustus Capitaneus Anglorum homo magnanimus in cunctis, se cum aliquibus suis reduxit ad montes, quem incautè secutus est Comes Virtutis filius D. Galeatii cum paucis, relicto exercitu ad spolia colligenda, contra quem dictus Joannes fecit impetum, ipsum vulnerando, & multos cepit ex suis militibus, cum quibus versus Mantuam equitavit cum honore, ita quod non potuit verè judicari, utra pars fuerit superior; nam ex parte Ecclesiæ mortui sunt circa septingenti homines, capti quingenti equi, & plures homines capti ducenti & plures. Ex parte verò Vicecomitum capti sunt multi Nobiles, inter quos Marchio Franciscus de Este, D. Gabriotus de Canossa, D. Franciscus de Saxolo, qui interfecit D. Gerardum de Rangonibus, & qui causa fuit omnium istorum malorum, aliique viri plures digni memoria. Et tunc Comes Sabaudia cum suo magno exercitu erat in territorio Mediolani. Evenit isto mense, quod quidam Episcopus Nepos Romani Pontificis ivit Mediolanum sub dissimulatione pacis, obtulitque se iturum ad Papam ad tractandam pacem, qui accepit literas à Vicecomitibus posse ire, & redire tutè ad ipsos. Cum autem reversus fuit Papiam, receptus est grateranter à D. Galeazio, & dixit responsum Papæ; sed dixit, se velle ire ad Comitem Sabaudia pro hac causa, quem caute D. Galeazius fecit perquiri cum omnibus suis, qui erant numero quinquaginta, invenitque eum habentem centum millia ducatorum, quos ferebat ad Comitem Sabaudia pro pagis mille lancearum pro quinque mensibus. Et hanc pecuniam habuit D. Galeazius, dimissoque Episcopo, dixit ut tutè iret, quia sic ei promiserat, sed tamen non debebat ferre subsidium suis inimicis. Die XIII. Maji D. Manfredinus de Saxolo ivit Florentiam, & statim rustici clauserunt portas post ipsum; quod cum vidisset, rediit ad portam, ut intraret; sed rustici noluerunt, & lapides in eum projecerunt; ipse fugit ad Montem-Zibium. Tunc rustici dederunt Saxolum Marchioni Estensi; similiter fecerunt illi de Foliano, & hoc timore vastationis; & facti sunt exules, & quasi omnes hinc inde dispersi. Quia proditores fuerunt Domino suo, merito hoc patiuntur. Et sic illi de Saxolo amissis omnibus suis Oppidis dispersi sunt propter mortem D. Gerardi de Rangonibus, quem gladio occiderunt. De mense Junii Comes Sabaudia discessit ex Mediolano, & venit versus Mantuam, deinde Bononiam, ibique stetit usque ad diem XV. Julii omnia circum Bononiam vastando, quia per Ecclesiam ei non satisfacerebat; inde ivit versus Placentiam omnia consumendo. Hic Comes stetit super territorio Dominorum de Mediolano quatuor menses, & numquam cepit